



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

V. Quia mundum Regina tranquillat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

Similem visionē refert *S. Anton. 3. parte historie tit. 23. cap. 5. parag. 63.* Ubi Christus bona & mala mundi diserevit, ac multò plura advertit mala, subito tanquam globum unum furiosè mundum projecit, adjecto horribili illo psalmi maledicto: *Cum judicatur exeat condemnatus.* Tum qui vidit exclamavit: Sancta Maria succurre miseris. Collegit mundum projectum S. Virgo, & dixit. Sine Fili mundum quem proprio sanguine redemisti, adhuc judicare. Et verò dum in eadem urbe hæc visio fieret, fuit sanè formidabilis terræ motus. *Idem p. 4. tit. 15. cap. 2. refert.* Anno 1399. decreverat Christus mundum in tres partes discerptum perdere, in cujus rei signum jusserat quendam agricolam tres panes quos habebat in fonte mergere. Accessit ergo fontem, facturus, quod erat imperatum; sed affuit ibidem specie matronæ Deipara, quæ inhibuit: ille rursus ac tertio redit ad Christum non procul consistentem; ac omninò jubetur ut panes demergat; accedit, & Virgo Christum, & orat nè merisionem urgeat, tandemque impetrat, ut solùm pars tertia submergeretur, simul agricolæ visionem exponit, mandatque, ut pænitentiam prædicet. Non vanam hanc visionem admiranda plurimorum conversio probavit. Anno tamen 1400. pestis adeo immanis supervenit, ut tertiam mortalium partem absorberit.

Ad propositum *Galatinus de arc. lib. 7. cap. 2.* Non solùm totus mundus amore B. Virginis conditus est, sed sustentatur, mundus enim ipse ob nostras pravas actiones nullo pacto consistere posset, nisi eum ipsa gloriosa Virgo suâ misericordiâ & clementiâ pro nobis orando sustineret.

§. Quia mundi Regina tranquillat.

Rem admirandam recitat Florentinorum Archiepiscopus *S. Antonin. historie tit. 17. ad annum 1190.* quam ipsam referunt *Guil. Catel. consil. Tollos. lib. hist. Comitum Tollos. & Rigordus Chronographus Regius in Reg. Fran. August. ad Annum 1183. & Vincent. Beluac. in spec. hist. lib. 30. Vet. edit.* Implacabiles discordiæ inter Regem Arragoniæ & Comitem S. Ægydij seu Tollosanum intervenerant, aderant multi qui partes componerent, nemini tamen celsit negotiū, comparet ergo Virgo nostra in Urbe Anitio seu Podiensi, quò causâ festi illius Assumptionis multi convenerant, humilis fortunæ viro, sed probo fabro lignario, seu carpentario, nomine Durando, eidemque imaginem sui tenentis Filiolum tradit depictam in charta, limbum rotundum ambigebat hæc scriptura. *Agnus Dei qui tollis peccata mundi dona nobis pacem.* Adjecit Virgo mandatum, ut accederet prædictos Principes faber, eosque componeret, & tantum dedit successum, ut ad ejus verba pacem jurarent, & sigillis plumbeis imaginem impressam funiculis lineis aslutam ex consilio fabri deportarent. Jussit præterea Virgo hanc imaginem Episcopo dari ut ille prædicaret, qui vellent pacem

Ecclesiæ, ejusmodi sigilla deferrent, & album parvum capiti imponerent caputium, ad ostentationem pacis, & innocentia. Qui paruerunt monitis admirandam sigilli virtutem experti, nam tales licet summis injurijs afficerentur, suos hostes odisse non poterant, imò & si quis fratrem alicui interemisset conspecta icone in amplexum homicidæ ruebat: *Hæc nos verbis Authorum.*

Non ex vano *S. Bernardinus tom. 3.* Virginem Arcam tæderis sempiterni appellavit; ut sicut *Gen. 9.* *Deus posuit arcam in signum fœderis inter se & hominem,* ita illa sit inter hominem, & hominem. Vel certè si Virginem notat arca Noë, in illa fuerunt omnia diversa licet animalia, sine lite est Virgo Oliva pacis. Vel ut verbis *Gregorij Taumaturgi serm. 2. de Annunc.* loquar. Hæc in domo Dei instar fructiferae olivæ plantata.

Lucebatur Jacob cum Angelo, at ubi oriri cæpit aurora symbolum Virginis, non tantum pax facta est, sed qui prævalere poterat, prior petijt pacem, Angelus, *dimitte me jam enim ascendit aurora,* imò emit pacem, nam dedit Jacobo munus græde, id est nomen Israel, quod est videns Deum. *Rupert. lib 6. in Cant.* Sicut aurora quotidiana finis præteritæ noctis est, & initium diei sequentis, sic Nativitas Virginis finis dolorum, & consolationis fuit initium, finis tristitiæ, & lætitiæ fuit initium.

Baronius ad annum 1030. hæc scribit: Conrado Imperatori intercesserat discordiæ cum *S. Stephano Rege Ungariæ,* quare *S. Stephanum* totis Germanorum viribus invadit *Conradus.* *S. Stephanus* antequam cum exercitu processisset obviam, ita oravit. Si placet tibi Domina mundi, tuæ partem hæreditatis ab inimicis devolari, & novellam Christianismi plantationem dissipari, nè quæso sinas illud imputari diffidentia meæ, sed potius dispositioni voluntatis tuæ, si quid commerus culpa Pastoris, ipse luat, oves quæso infontes nè patiaris affligi. Die secuta orationem ad singulos Germanorum Duces Nuntij quidam venerunt cum literis Imperatorij, quibus omninò, ac statim redire domum compellebantur. Quod & factum est. Quo cognito Rex Sanctus humi abjectus debitas Virgini retulit grates. Imperator verò vi Divina ab exercitu destitutus, primò territus, tum in polterum constituit ab invadendo *S. Rege* abstinere.

Gliscebant quidam Romæ tumultus, nec poterant componi, donec exoraretur Sancta Virgo, quæ ut refert *Ambr. Novidius favor. 7.* audita est orantibus dixisse. Ego oro pro populo nocte dieque & mox consecuta pax. Tempore Sixti IV. Pontificis, Roma imò ferè tota Italia bellis ardebat, Calabriæ Duce infestante. Conceptus Pontifex votum, se templum Virgini sub titulo Dei Genitricis erecturum, si bella extingueret, factum utrumque & Italia composita, & templum erectum. Quia ut *Erasmus orat. 6. de Deip.* Est Oliva fructifera plantata in domo Domini, ex qua Spiritus

tus S. Dominici corporis ramum accipiens tempestate jactato humano generi detulit faulſtè de celo annuncians pacem.

Neque Myſterio caret id, ex pacis templo Romæ ad S. Mariæ Majoris una columna ſuperelit, quæ ante templum ſtatuum S. Virginis portat, eſtque ſtricta, & ſola ſuperelit ex illius templi tanto opere, integra. *Cancellatus Annal. Marian. an. 15. n. 7.* Inde *S. German. Conſtantinop. in pſal. 44.* Virginem appellat Cœlum quod in eo planetæ defixi, licet indolis ſint diverſiſimæ amicam pacem gerant. Vocat Div: *Bona: lib. de laud: Virg: Paradifum, quòd ubi illa intervenit, pax velut in paradifo oriatur. Richard. à S. Laur. lib. 12.* Incenſum, quòd dum furor Domini ſuper populum ſæviret, Moyſes juſſiſſet Aaronem offerre. *num. 16.* Eſt Virgo Oleum quia ut *S. Ambr. explicat. Cant. 1. lib. de inſtit. Virg. ſap. 13.* Inuſo oleo fluctus maris miteſcunt.

Quare *S. Thom. opuſc. 8. dixit.* In omni periculo potes ſalutem obtinere à Virgine glorioſa. Et *Dionys. Carthus. lib. 2. de laud. B. V. art. 23.* Ipſa eſt ſingulare & potentiffimum Refugium perditorum, Spes miſerorum, Advocata & Reconciliatrix omnium iniquorum ad eam confugientium.

Sed hunc diſcurſum claudamus hiftoriâ. Anno 1482. fervebat civilibus bellis Belgiana. Quidam pacis ſtudioſus tres imagines titulo Matris doloroſæ populo cœlendas propoſuit locis tribus, & ecce intra paucos menſes totum reſtinctum eſt incendium. Ita *Adrianus Lyranus Tryſagij lib. 2. modo 45.* Ita Virgo S. populos ac regna componit.

6. Quia damna quæ mundo ſuo peccato intulit Eva, hæc Virgo reparavit.

Proſitetur id clarè *Eccleſia in ſuo hymno.* Quod Eva triſtis abſtulit, tu reddis almo germine. Sed & *Graci in Menſis 3. Jan. ode. 8.* ita Virgini. Tu veteris Evæ maledictione ſublata benedictionem mundo peperifti. In omnium perſona *S. ſabba 3. Jan. ode 9.* Maturas vitæ fruges ex te carpo, nihil damni à ligno ſcientiæ paſſus, tu enim es macularum omnium ſemper expers, ligno vitæ ſimillima, non alium nobis fructum germinâſti (loco pomi) quàm Chriſtum.

Et certè ut *Innocentius III. ſerm. 2. de Aſſumpt.* Oportebat ut ſicut per ſcœminam mors intravit in orbem, ita per ſcœminam vita rediret in orbem, & ideò quod damnavit Eva, ſalvavit Maria, ut unde mors oriebatur, indè vita reſurgeret. *Epiphani. contra Antidicomarianitas.* Vetus Eva fœtum ſuum priuſquam pareret extinxit, noverca potiùs quàm mater appellanda, ſed nova hæc Eva non morientium, ſed revivifcentium Mater extitit. *S. Chryſoſt. hom. de interdictione arboris.* Planè reſtauratur per Mariam, quod per Evam periérat.